

Extundens : tum deinde oculos , tum deinde labori  
 Adjungat dextram: Arcadicis hæc cura colonis  
 Digna magis , longe & jaculorum dignior usus ,  
 Hæc nostros meliora decent certamina ludos ,  
 Præmia digna dabo victoribus . Alphesibæi  
 Illa manu primum quæ consita laurus in auras  
 Intonsum aerias tollit caput , illa virentes ,  
 Ipse ego sublimi quas carpam in vertice frondes ,  
 Victuro æternos fert præbebit in annos .  
 Præterea aut pario sculptam de marmore , sive ,  
 Ut libet , in tabula pictam , tenuive papyro  
 Ipse suam lauro effigiem suspendet eadem  
 Affigens tantæ signum memorabile palmæ .

Vix ea Myrhæus : pastorum effunditur ingens  
 Per sylvam , atque noyum molitur turbæ laborem :  
 Ergo yides jam fervet opus . Conjungier illis  
 Tu quoque vis , Lycida , & jaculo , & certare sagitta ?  
**Lyc.** Haud equidem tantum tribuo mihi; Tytire, de xtra  
 Si jaculum vibrare gravi , si tendere nervos  
 Cornibus adductis , arcuque sonante sagittam  
 Mittere opus ; certarem equidem ; nec me Jovis ales ,  
 Nec pernix fugiat cervus , quamquam ille volatu ,  
 Hic celeri ventos vincat pede . Figat in imo  
 Si telum corde , & rapiat cum sanguine vitam .  
 At quoniam certare nefas , age , Tytire , pande  
 Singula , nosti etenim , qui se in certamina tanta  
 Hi dederunt juvenes , quorum hæc aut pendula ramis  
 Ora , vel artifici nondum perfecta labore  
 Pastorum in manibus tu imur , quid & addita cuique  
 Signa notant , mille arcanis variata figuris ,  
**Tyt.** Ah! Lycida, ah demens! quid enim petis? Ante jugales  
 Circumagat totum Phœbe variata per orbem  
 Ore tumens iterum atque iterum nova cornua sumens  
 Quam liceat tantam versando evolvere molem :  
 Panca modo expediam, nam me quoque concitat idem  
 Palmæ amor , & mea sunt , lauro pendentia ab illa